49617/P

Dissertatio Medica Inauguralis de Febre Biliosa

— 1765. —

F
XVII
m
18

F XVII m 18

65

139

bar 7/2-502

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE

FEBRE BILIOSA,

QUAM,

ADSPIRANTE SUMMO NUMINE

Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS,

FRIDERICI WILHELMI PESTEL,
JURIS UTRIUSQUE DOCTORIS ET PROFESSORIS JURIS PUBLICI ET PRIVATI IN ACAD. LUGD. BAT. ORDINARII.

NEC NON

Conſenſu Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI, *Nobiliſſimæque* FACULTATIS MEDICÆ *Decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis, rite ac legitimè conſequendis,

Eruditorum Examini ſubmittit

CORNELIUS STATHOUDER,
BERGA AD ZOMAM BRABANTINUS.

Ad diem 4. Aprilis MDCCLXV. *hora decima locoque ſolito.*

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud THEODORUM HAAK, 1765.

NOBILISSIMO SPECTATISSIMO GRAVISSIMO AC FORTISSIMO

VIRO

D. D. JACOBO GORDON,

TRIBUNO MILITARI, AGMINISQUE SCOTORUM DUCI STRENUISSIMO PRUDENTISSIMO REIQUE MILITARIS PERITISSIMO.

NEC NON

NOBILISSIMO AMPLISSIMO DOCTISSIMO ET ACUTISSIMO

VIRO

D. D. JOANNI BON,

SENATORI ET EXSCABINO CIVITATIS SYLVA DUCENSIS, MEDICINÆ DOCTORI ET PRACTICO EXPERIENTISSIMO EJUSDEMQUE ILLUSTRIS GYMNASII MEDICINÆ PROFESSORI DOCTISSIMO CELEBRATISSIMO.

UT ET

VIRO

NOBILISSIMO DOCTISSIMO EXERCITATISSIMO

D. D. GUALTERO GRAHAM,

MEDICINÆ DOCTORI CLARISSIMO, IN COHORTE AGMINIS SCOTORUM CHIRURGO PRIMARIO, DEXTERRIMO.

ILLI FAUTORI, OMNIQUE REVERENTIA ET OBSEQUIO PROSEQUENDO; ISTI MÆCENATI DIGNISSIMO, VENERANDO; HUIC AMICO, HONORANDO; OMNIBUSQUE AD ROGUM USQUE COLENDIS.

Hancce Diſſertationem ea qua par eſt reverentia

D. D. D.

AUCTOR.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30357792

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

FEBRE BILIOSA.

§. I.

Priusquam ad febris bilioſæ veram indolem indagandam nos accingimus, operæ pretium foret febris ideam generalem condere. Sed quam ardua res! Febris præſentia facilius, quam ejus interior natura, determinatur. Mirum videretur in illuminato ſæculo, quod vivimus, perfectam febris definitionem deſiderare, niſi plane miranda & diverſiſſima ejus facies, quam plerumque aſſumit, omnis intellectus naturæ noſtræ ſcrutatorum aciei illuderet. Hinc vix melius quam per effectus definias; alioquin verba dabis. Quamobrem in adeo abſtruſa atque recondita febrium natura ſufficiat nobis cum immortali noſtro BOERHAVE §. 563. febrem præſentem declarare, quando „ *horripilatio, pulſus velox, calor vario febris tempore vario gradu adſunt.*

§. II.

Febris bilioſa, cujus natura evolvenda nunc ſequitur, habet omnino qualitates privas, quibus ab aliarum febrium ſpeciebus jure meritoque diſtinguitur. Differentiam vero ſpecificam nobis ſuppeditant & ſyndrome ſymptomatum, quibus ſtipatur, prope ſingularis, & cauſæ ex quibus naſcitur non ſemper, neque ubivis obviæ. Talis igitur febris, quæ pro fomite ſaburram putridam bilioſam in primiis viis collectam ad ſecundas traductam, vel & ibi natam, agnoſcit, bilioſæ nomine (*a*) inſignitur.

§. III.

Jam a multis retro ſæculis febres a medicis triplicis generis obſervatæ ſunt. Febris enim hominem tenens, aut ab initio ad finem usque quaſi uno eodemque tenore decurrit, aut non. In ultimo caſu iteratis vicibus inſurgit, & dein plane quieſcit, vel interdum a vigore ſuo paululum tantum deſiſtit. Ex hac ratione diviſerunt febres in continuas, intermittentes, ac remittentes. Experientia clinica confirmavit bilioſam plerumque ex claſſe remittentium eſſe, vel ſaltem habere tendentiam ad remiſſionem (*b*), quamdiu ſcilicet nondum in continuam, vel intermittentem, ſive vi morbi, ſive medela aut perverſa aut neglecta, tranſiit. Notandum tamen hunc morbum non ſemper ſub una eademque forma apparere, ſed interdum primis diebus nullas remiſſiones habere; vel quoque typum intermittentis tertianæ duplicatæ, vel quotidianæ utcumque æmulari (*c*), ut ſæpe judicio in praxi ſatis exercitato, & multo rerum uſu ſubacto, imponat,

(*a*) J. Pringle Obſervations on the diſeaſes of the army, the third edition Lond. 1761. Qui rationem denominationis reddidit, quod Hippocrates in libr. de Affect. p. 518. de priſca Med. p. 16. Edit. Foësii Syndromen ſymptomatum hujus febris a bile male affecta derivaverit.

(*b*) Pringle loc. cit. pag. 165, 168. 174.

(*c*) Idem l. c. p. 164, 168, 174.

nat, donec tandem poſt unum vel alterum obſcurum paroxysmum larvam deponat, veramque indolem prodat.

§. IV.

Cauſa morbi generatim dicitur id cujus vi morbus præſens eſt. Diſtinguunt vero pathologi, dum de morbis eorumque cauſis diſputant, principia cujuslibet morbi in potentias nocentes, ſive occaſiones; & in ſeminia, ſive prædiſpoſitiones (*d*), quæ demum viribus conjunctis morbi cauſam proximam gignunt. Rationes a Celeb. PRINGLE adlatæ extra omnem dubitationis aleam ponunt colluviem putridam bilioſam in viis cibariis collectam, vel proclivitatem humorum ſummam ad putredinem (*e*), cauſam proximam ſic dictæ bilioſæ exiſtere. Principiorum vero, vel ſi mavis cauſarum remotarum, nomen merentur omnes illæ conditiones, tam in corpore humano, quam extra illud hærentes, quæ ad hanc cacochyliam bilioſam corruptam generandam ſuam ſymbolam conferunt.

§. V.

Potentiæ nocentes, ut & ſeminia febris noſtræ non ſunt unius ejusdemque generis, ſed diverſi, immo quoad indolem privam ſæpe diverſiſſimi. Ad priores non ſine ratione referimus aëra, qui ob plures qualitates nocivas huic morbo generando egregie inſervit. Hujus in corpus humanum efficacia eo magis conſiderari meretur, quo minus in cauſarum ſcrutinio ad eum attendunt ægrotantes, & pro dolor! non raro ipſi medentes. Maxime vero hic in cenſum venit aër humidus & ſimul calidus, perpendenti enim ad rationem apparet, nil magis ad concipiendam, fovendam, ut & augendam, humorum diſpo-

(*d*) Conf. Celeberrimi GAUBII Inſtitut. Patholog. med. §. 54, 60, 74. & ſeq.

(*e*) PRINGLE l. c. Part. III. Cap. IV. pag. 173, 176, 180. ſeq. Idem probant ſectiones cadaverum hoc morbo mortuorum TISSOT Diſſert. de febrib. Bilioſis Lauſannæ 1758 p. 2, 16, 22.

diſpoſitionem putridam facere (*f*), præſertim quum calor & humiditas conditiones illæ ſint præcipuæ, quibus corruptio corporum ſpontanea (*g*) promovetur. Tanto graviores vero producit febres biliofas putridas, quanto calidior atque humidior exiſtit. Aquam enim ſales ſolvendo, calorem eos extricando, acuendo, in actum deducendo agere, evidens eſt. Exinde ſimul patet, quid aër pluvioſus efficiat, quid aër umbratilis in regionibus, urbibus, plateis humilioribus præſtet? Hujus effectus confirmat obſervatio celeberrimi apud Noviomagenſes practici, qui mihi retulit, ſe pluries animadvertiſſe morbos a colluvie inteſtinorum putrida oriundos in loco arboribus denſis conſito, primum ſemper erupiſſe.

§. VI.

Viciſſitudines aëris ratione variarum qualitatum morbis anſam præbere variis pathologia (*h*) confirmat, præſertim vero mutationes quoad calorem & frigus non omittendæ ſunt. Axioma generale a medicis ſtabilitum eſt, omnem mutationem ſubitam nocere. Quidni igitur hoc de aëre verum eſſet? Duplex autem commutatio locum habet, ſcilicet aëris frigidi in calidum, aut calidi in frigidum. Corpus æſtuans ſubito transfertur in aërem gelidum, quid contingit? Pori in habitu cutaneo conſtringuntur, acre a calore & circulatione intenſiori generatum, per transpirationem abiturum, retropellitur, & repercuſſum, ſi reliqua conſpirant, putredinem maſſæ ſanguineæ inducit, E contrario, ſi a gelu rigidi ſimul atque ſemel nos calori exponimus acre putridum perſpirabile, ob tranſpirationem a frigore impeditam, a ſuperficie externa retropulſum, calore illico ſubſequente majori activius redditur, motumque inteſtinum præternaturalem inchoat. In ipſis vero primis viis ab ejusmodi putrido retroacto turbas oriri poſſe, minime mirum videre poterit cogitanti conſenſum ſingu-

(*f*) Gaubius l. c. §. 424. no. 7. 430. no. 8. Pringle l. c. p. 164, 175, 180, 182.
(*g*) Pringle l. c. p. 4.
(*h*) Gaubius l. c. §. 424 ad 448. Pringle l. c. p. 180.

ſigularem (*i*) inter ſecretionem cutaneam atque ſecretionem humoris, quæ fit ad inteſtina.

§. VII.

Et anni tempus in gignendo hoc malo ſibi aliquid ſumit. Viri enim egregie docti & in arte obſervandi non mediocriter verſati adnotarunt, hanc febrem non niſi tempore æſtivo ſævire, & verſus finem auctumni in continuam vel intermittentem ocyus, ſerius, tranſire (*k*). Et ratio in promptu eſt. Coelum æſtuans diſſipat partes ſanguinem diluentes, hinc ſales magis concentrantur, activiores redduntur, oleum pingue corrumpitur (*l*), & pronitas humoribus ad corruptionem inſinuatur maxima. Accelerat hanc humorum dyſcraſiam motus humorum intenſior, vividior, a calore adaucto excitatus. Qua propter in canali cibario a menſtruis magis ad putrorem proclivibus, imprimis a bile magis activa, aſſumta protinus in motum inteſtinum præter naturam contingentem, virtute quaſi fermentali abripiuntur, rancescunt, putreſcunt, & ſic ſaburræ corruptæ occaſionem dant uberrimam (*m*). Aer æſtate calidior, quando vaporibus aqueis gravidus eſt, alluendo, emolliendo ſolida laxat, impediendo abſorptionem tranſpirationem minuit, unde motus humorum languidior, ſtagnatio, corruptio ab acre perſpirabili in ſanguine remanente (*n*), & ſanæ craſeos perturbatio. Ex dictis igitur patere arbitror, cur æſtas atque auctumnus huic malo magis faveant?

§. VIII.

Atmoſphæra putrida non poteſt non qualitatem ſimilem nocivam hominibus in illa degentibus affricare (*o*). Corpus enim noſtrum ubi-

(*i*) Kaauw de perſpirat. dicta Hippocratica Lugd. Bat. 1737. §. 1075–1077.

(*k*) Pringle l. c. p. 164, 185. Tissot l. c. p. 14. qui etiam obſervavit febrim noſtram tempore hyemali ob tempeſtatem pluvioſam & tepidam continuaſſe.

(*l*) Gaubius l. c. §. 314.

(*m*) Gaubius l. c. §. 424. no. 8.

(*n*) Idem ibid. §. 430. no. 8.

(*o*) Pringle l. c. pag. 174, 180, 181.

ubique patulum tam in ſuperficie externa, quam in ſuperficie ſyſtematis aëriferi (*p*), non poteſt non per vaſa abſorbentia, quæ ibi terminantur, recipere particulas putres in aëre circum volitantes cujusvis generis, quæ receptæ intra corpus maſſæ ſanguineæ traduntur, munere fermenti ſeptici funguntur, ſimilemque labem humoribus inducunt. Idem aër nos ambiens moleculis corruptis inquinatus, ſub maſticatione aſſumtis permiſcetur, per deglutitionem magna præterea ejus pars in caveas cibarias defertur (*q*), & omnia contenta ventriculi atque inteſtinorum, præſertim bilem ad corruptionem totius œconomiæ animalis humorem proniſſimum (*r*), peſſime corrumpendo, maculat. Eo citius vero hoc contingit, quo magis ob æſtatem ferventem corpus ad alcaleſcentiam inclinat.

§. IX.

Miasma & contagium ſæpe pro Synonymis ſumuntur, ſæpe quod omnino præſtat, diſtinguuntur, ita ut prius in aëre genitum vel ex reliquis regnis illuc vaporum ſæpe incontrectabilium ſpecie delatum; poſterius vero in ipſo corpore animali ortum, effectum, transiens dein ex uno in aliud, non parum etiam ad inficiendos humores conferre (*ſ*), quotidianus rerum uſus probat. Materies enim talis inpalpabilis putrida, corpori per varias vias communicata, ex vi inſita & inevitabili naturæ lege ſui ſimilem gignit. Contagii quid ſubeſſe in noſtro morbo per experientiam nondum conſtitit. Sed ſilentio non prætereundum ſubtile illud noxium quod aër quieſcens non ventilatus in locis clauſis, noſocomiis, ubi multi ſimul decumbunt (*t*), vel ab exhalationibus putridis contrahit, quod per quascum-

(*p*) Gaubius l. c. §. 440, 497. Kaauw l. c. Cap. XIX. §. 421.

(*q*) A. de Haen Rat. Med. Part. III. Cap. II. p. 99. edit. Vindob.

(*r*) Clar. van Swieten in Aph. Boerh. T. I. §. 84. l.º 3. Gaubius §. 372.

(*ſ*) Gaubius l. c. §. 496, 497. A. Fothergill Diſſ. de febr. intermitt. Edenb. 1763. Sect. II. §. 10.

(*t*) Gaubius l. c. §. 439. A. Stoerck Annus medicus primus. Ed. Lugd. p. 16. Pringle l. c. pag. 168.

cumque vias corpori ingeſtum, morboſum putridum producendo, & occaſio & cauſa exiſtit morbi epidemici.

§. X.

Motus animalis intenſior humorum circuitum, attritum, calorem, reſolutionem, partis diluentis diſſipationem, reliquorum inſpiſſationem, oleorum, ſalium acrimoniam mirum in modum adauget (*u*). Bilem itaque, ut liquorem jam ſecundum naturam acerrimum, hic maxime pati liquet. Calor enim adauctus ſales, qui bili inſunt, magis evolvit, extricat, aſperat, oleum rancidius reddit. Hinc natura omnibus conditionibus cavit, ne ſanguis ad ſecretionem bilis iturus in ſuo motu nimis acceleretur (*v*), ſub motu lentiori etiam materies bilioſa melius in acinis hepatis ſeparari vel elaborari poteſt. Dum igitur motus humorum in toto corpore increſcit, increſcit etiam in vena portarum. Deinde ſub reſpiratione in exercitatione corporis intenſa non poſſunt non diaphragma, muſculi abdominales, alterna ſua conſtrictione & relaxatione contenta abdominis eo magis premere, quaſi emulgere, & ſanguinem majori copia & impetu ad jecur mittere, quo frequentius, vividius convelluntur. Sanguis igitur velociter per hepar actus vix omnes partes oleoſas acres ad hepatis acinos deponere, & quas poris biliariis tradit accerrimas primisque viis infeſtiſſimas eſſe, ex dictis patet (*w*). Remanent igitur oleoſæ, rancidæ, aduſtæ bilis partes, quæ ſub agitatione velociori cum ſanguine acrimoniam acerrimam contrahendo, febrim incendere poſſunt.

§. IX.

Sed & ipſorum aſſumtorum qualitas peculiaris naſcendo huic morbo ſuppetias fert. Pertinent vero hic jure prope ſingulari omnia oleoſa,

(*u*) Idem ibid. §. 510.
(*v*) Ludwig Inſtitut. Phyſiol. §. 385. ſeq.
(*w*) Pringle l. c.

leoſa, pinguia, juruleṇta, glutinoſa ex animalibus frigidis, vel calidis, præſertim fumo induratis, parata. Dicta enim adhuc blanda, multo vero magis, ſi arte coquinaria adminiculantibus igne, vel aromatibus aduſta ſunt, materiem ſubactu difficillimam, & facillime in rancidam bilioſam acrimoniam mutabilem ſuppeditant. Tantum enim abeſt, ut memorata, majori imprimis copia aſſumta, vel in officinam digeſtionis debiliorem ingeſta, ſubigantur, rite mutentur, ut in tetram putrilaginem oleoſam, horrendam mephitin ſpirantem, omnes humores corrumpentem, & vix niſi motu febrili immutandam, abeant.

§. XII.

Non raro mirabilis corporis per animi commotiones graviores (x) mutatio bilioſæ corruptæ materiei in primas vias regurgitationem efficit. Qua ratione id fiat, non eſt ut inquiramus. Probant veritatem rei phœnomena & ſymptomata, quæ obſervamus in hominibus, quando iracundia percelluntur. Superveniunt, nec inauſpicato, irritationes canalis inteſtinorum, a bile copioſius, impetuoſius erumpente, unde ipſius contractiones, materiæque non raro ſurſum vel deorſum, quin & ſæpe utrimque, ejectiones. Et ſane habent, cur glorientur illi homines, quorum vires medicatrices tanto malo in cineribus adhuc gliſcenti debellando, expellendo, antequam eundo vires acquirat, febrimque excitet, pares ſunt. Si vero torpeſcit œconomia, remanet bilis, actiones irregulares ſui ſtimuli moleſtia producit, canalis cibarii contenta inquinat, & ipſa ſtagnatione facili negotio ſummam putredinem contrahit.

§. XIII.

Non vero tantum potentiæ nocentes, ſed & ſeminia inter morborum principia referuntur. De prioribus hactenus. Jam de ſeminibus febris bilioſæ quædam addamus neceſſe eſt. Hærent vero ſeminia

(x) Gaubius l. c. §. 372, 542.

nia hujus morbi vel in partibus firmis vel fluidis, vel in utrisque ſimul. Fac enim, ut fibræ præſertim primarum viarum ex quacunque ſit cauſa robur ſuum naturale amittant, actio earum in ingeſta inſigniter minuitur. Si dein victu oleoſo, jurulento, pingui, blando, multo magis, ſi frixo, delectantur, ingeſta neceſſario, quum his rite mutandis, ſubigendis vires limitibus circumſcriptæ impares ſint, in corruptionem ſpontaneam abeunt, & ſic colluvies cruditatum putridarum rancidarum naſcitur. Hæc vero cacochylia initio lenis ſæpe diu perſtat, donec tandem eo usque augeatur, ut actiones manifeſto lædat, morbumque ſiſtat. Deinde ſtrictura compagis ſolidæ major non penitus omittenda videtur. Fluida enim varie a variis conditionibus ſolidorum mutantur. Fibrarum igitur robore aucto augetur actio in humores, hinc aquoſa magis expelluntur, ſales magis concentrantur, atteruntur, evolvuntur, oleoſæ inflammabiles partes exaſperantur, citius acrimoniam contrahunt, totaque maſſa ſanguinea ad alcaleſcentiam magis prona redditur, adeoque bilioſæ acres copioſius elaborantur. Diſpoſitio hæc concurrens cum uſu victus animalis liberaliori, cum animi perturbationibus exagitantibus, cum æſtu, motu adaucto, aliisque potentiis nocentibus eo majorem bilis effuſionem efficit, quo major ejus principiorum in tali ſanguine eſt abundantia, & quo ocyus a memoratis occaſionibus turbari poteſt ejus craſis. Accedere poteſt rigiditati fibrarum alvi ſegnities, qua feces diutius retinentur, magis putreſcunt, putridum vero ad humores reſorptum, eorum mixtionem pervertendo, diſpoſitionem ad putrorem inducit.

§. XIV.

Seminia in fluidis latentia, & huic malo naſcendo faventia ſunt nonnullæ cacochymiæ ſpecies ut & plethora. Præſertim vero cacochymiæ rancida, putrida, alcaleſcens febris bilioſæ geneſin non ſolum facilitant, ſed ſemel natam alunt, augent, ſuſtentant. Humores enim corporis noſtri ſecreti congruunt cum indole ſanguinis ex quo elaborati, huc vel illuc deponuntur. Quum igitur bilis, ut liquor ex communi fonte ſcilicet ſanguine ſcaturiens, etiam ſi proprie

loquendo alcalicos ſales non contineat, citiſſime ob maximam ad alcaleſcentiam proclivitatem & olei, quod in ſe habet, conditionem non adeo blandam, putreſcat, ſequitur ut ex ſanguine dyſcraſia alcalica, vel putrida laborante, bilis actuoſior ſecernatur. Abundantia ſanguinis nimia augendo reſiſtentiam cordi datam motum humorum tardiorem ſibi jungit, depurationes minuit, ſtagnationi & inde oriundæ corruptioni aditum januamque patefacit. Ad ſeminia, quæ in firmis & fluidis hærent referimus non immerito temperamenta calidum & ſiccum, calidum & humidum, quippe quæ ob conditiones ſingulares & ſibi proprias tam in mixtione humorum, quam robore ſolidorum multis modis diſponunt corpora ad recipiendas potentias nocentes enarratas.

§. XV.

Quamvis omnes hactenus diſputatæ res atque conditiones ad hanc febrim excitandam conferant, minime tamen credendum eſt, unam ſolam ſufficere. Requiritur variorum conſenſus in unum, alias ſi ſeminium potentiam nocentem, aut potentia nocens ſeminium deſtrueret, vix cauſam febris gignerent. Ex pathologia enim patet morbos internos raro ex una cauſa ſimplici profluere, ſed plerumque congeriem plurium ponere, quæ junctim ſumtæ id efficiunt, ut præciſe talis morbus exiſtat, et non alius. Memoratas res atque conditiones febrim bilioſam producere poſſe vidimus a priori; ſed a poſteriori idem etiam apparet. Experientia enim probat febres has maxima ſævitia graſſari in regionibus paludoſis, planis, multis arboribus conſitis, ventilationem atque diſpulſionem partium nocivarum impedientibus (*y*), quales in Belgio præſertim ſunt Zelandia, Flandria belgica & regiones ad oſtium Schaldis, maxime tamen humiliores, aquis undique cinctæ atque foſſis aggeribusque munitæ. Atmosphæram enim ibi a paludibus, ſtagnis, calore exſiccatis, piſcibus inſectisque mortuis, corruptis, mirum in modum & diverſa ratione inqui-

(*y*) Pringle l. c. p. 169, 170, 175.

quinari (z), & viciſſitudinibus ratione caloris & frigoris perpetuis obnoxiam eſſe quotidianus rerum uſus confirmat. Accedit victus pinguis, jurulentus ex piſcibus, iisque non ſemper recentibus paratus; immo ipſe potus aquoſus calidus, quo in his regionibus nimis abutuntur, debilitando officinam digeſtionis corruptionem pinguium, piſcium aſſumtorum valdopere promovet.

§. XVI.

Febris ſic accenſa non poteſt diu ſine effectibus eſſe, ſed functiones œconomiæ variæ inde lædantur, neceſſe eſt. Sunt vero omnes ſequelæ hic occurrentes non unius ejusdemque naturæ, ſed diverſæ, immo diverſiſſimæ. Ordinis gratia eas dividere liceat in ſymptomata univerſalia atque particularia, illa in toto corpore ſe exſerunt, hæc præprimis in hac vel illa parte tantum apparent, quamquam ob conſpirationem totum corpus ſaltem indirecte inde afficiatur. Ad priora referimus laſſitudinem inſolitam, debilitatem ſine cauſa manifeſta inſignem, (*) frigoris moleſtam ſenſationem (†), calorem majorem, ſudorem parciorem, largiorem, pulſum incitatum celerem, frequentem, aliaque ſymptomata febrilia, quæ partim a tranſitu humorum per extremitates arteriarum difficiliori; partim ab irritatione cordis arteriarumque a materia acri indeque adaucta circulatione proveniunt.

§. XVII.

Topica vero ſymptomata pro varietate loci ſunt alia atque alia. Ejusmodi enim colluvies in primis viis maxime collecta hos canales diſtendit, mora & corruptione aërem dimittit, qui abdomen tumidum, hypochondria tenſa reddit, & dolorem gravativum in hac regione producit. Porro ob acrimoniam majorem, minorem, quæ

(z) PRINGLE l. c. P. I. cap. I. & pag. 185.
(*) VAN SWIETEN in Aphor. 661.
(†) PRINGLE l. c. pag. 167, 170, 175. TISSOT l. c. p. 4.

in hac ſaburra præter naturam collecta, obtinet, canalis cibarius magis, minus, citius, tardius irritatur, irritatus ſe contrahit, quod ſi in ventriculo contingit, faſtidium, ructus amari, nidoroſi, putridi, vomitus varii, & ſpeciatim ſi orificium ventriculi dextrum ſtimulatur, cardialgia (*a*) ſuperveniunt. Vomitus vero, qui hic ſæpe molimina naturæ ſaluberrima dicendi ſunt bilioſi, amari, (*b*) rancidi, muco aliisque reliquiis permixti, obſervantur. Eadem ſtimulatio cum ſubſequente inteſtinorum conſtrictione inæquali, vividiori, tormina, borborigmos, dyſenteriam, diarrhœam bilioſam, pinguem, fœtentem, ſpumantem, albam (*c*) & non raro ipſam choleram (*d*) efficit. Si vero huic ſtimulo ſpaſmodica contractio ſe jungit alvus conſtipata cum abdomine tumido deprehenditur.

§. XVIII.

Cavitas pectoris cum ſuis contentis hic non impune abit. Inteſtina enim ab aëre ex reliquiis corruptis ſui juris reddito diſtenta, inflata, diaphragmatis in opere reſpirationis deſcenſum impediunt, hinc reſpiratio pro vario gradu intumeſcentiæ varie læditur, motus ſanguinis per pulmones retardatur, anxietatesque præcordiorum hominem torquent. Deinde ſpasmi in viſceribus infimi ventris a colluvie acri excitati, ſanguinis liberiorem viam per arterias cœliacam, meſeraicas ſuperiorem, inferiorem, intercipiunt, regurgitant igitur humores in truncum aortæ, hinc evacuatio cordis ſiniſtri interdum non ſine difficultate ſumma peragitur, unde iterum ſenſus ille ingratus, quem anxietatem vocant, oritur. Eamdem quoque frigus, (quod vero non niſi in prioribus paroxysmis obſervatur (*e*),) vel calorem febrilem adauctum, quatenus æqualem per pulmones circuitum mutant, impediunt, producere poſſe, ex pathologicis patet. Ex regurgitatione humorum ad ſuperiora, ob viam per aortam deſcendentem

(*a*) Pringle l. c. p. 171.
(*b*) Id. Ibid.
(*c*) J. de Gorter Medic. Hippocr. §. 355.
(*d*) Pringle l. c. p. 166. Huxham de aëre & morb. epidem. pag. 72.
(*e*) Pringle l. c. p. 167, 170.

tem pro parte præpeditam, majori indeque oriunda vaſorum encephali extenſione, irritatione, compreſſione, cephalalgiam, delirium ſæpe inſigne, ſubitum (*f*), faciem rubentem, floridam oculos protuberantes, carotides, arterias temporales, conſpicue micantes, provenire, vix neceſſe eſt moneamus.

§. XIX.

Tandem etiam occurrunt mutationes non leves in fluidis ſecretis. Inprimis autem conſideranda eſt urinæ & materiæ perſpirabilis ſecretio. Urina pro varia morbi noſtri indole, vehementia, ſtadio, alia atque alia eſt. Hinc obſervamus eam modo rubram, ſi a febre nimis aucta partes ſanguinis oleoſæ, vel etiam pinguedo, in celluloſa depoſita, æſtu eliquata, & in ſyſtema circulatorium reſorpta, motu intenſiori, & attritu vehementiori agitatæ aduruntur, ſales exaſperantur; modo palleſcentem, ſi vaſa ſecernentia renum a materia acri ſtimulata, vellicata, conſtricta, nil niſi aquoſas admittunt partes, reliquas vero, quaſi proprie ſecernendo, a tranſitu arcendo, repellunt. Eamdem ob cauſam, & ob diverſam materiæ morbificæ aptitudinem ad iter per vaſa minima emetiendum & ſeceſſionem per colatoria corporis, ſive ut verbo dicam coctionem, urina nunc cum ſedimento, nunc absque illo obſervatur. Secretio cutanea etiam ſæpe numero mutatur. Calor intenſius urgens, producendo plethoram ad volumen, non raro vaſa majora ita expandit, ut minora præprimis cutanea inde compreſſa nil fere recipiant. Tranſpiratio itaque cohibita cutim ſiſtit ſiccam, duram, coreaceam. Accedit irritatio vaſorum maxime minorum major, ex qua capacitatis imminutio, difficiliorque humorum introitus, atque ulterior propulſio non niſi ægre contingens, profluit. Ne dicam de ſeroſarum, lymphaticarum pauperie ob æſtum non mediocrem, qui materiem aquoſam expellit, fluida denſat, & ad ſecretionem reddit minus idonea. Si vero contrarium evenit & corpus quaſi ſudore perfunditur (*g*), ſu-

(*f*) Pringle l. c. p. 171, 174. ſeq.
(*g*) Pringle l. c. p. 171–173, 176, 177.

ſudor plerumque odorem fœtidulum ſpirat. Nec hoc mirum eſt. Maſſa enim humorum univerſa ob copioſas particulas putridas bilioſas, quibus inundatur, ad alcaleſcentiam, immo ad ipſam putreſcentiam magis prona, non poteſt non ſudorem fundere fœtentem. Minime tamen malæ indolis ſignum eſt, ſi ſudor quoad odorem mutatus, acidum redolet, nam bilioſam corruptam humorum diſpoſitionem jam ſubactam eſſe hoc putredini contrarium phænomenon ſatis ſuperque teſtatur. Præterea in habitu cutaneo & aliæ apparent mutationes. Acre enim huc delatum ſtimulando ſibi ipſi exitum præcludit, ſtagnat, rodit, cuticulam in veſiculas elevat atque exanthemata ſiſtit (*b*). Jam non moror, utrum hæ efflореſcentiæ ſint effectus erroris ab ægro vel medico commiſſi, an ſint ſequela ex vi morbi, ſufficit enim in præſentia adnotaſſe, exanthemata effloruiſſe. Morbus regius qui etiam hanc febrem interdum concomitatur ponit abundantiam bilioſarum cum ſanguine circumactarum majorem, ſive hæc proveniat a ſeceſſione in hepate ob tranſitum velociorem vel ſpasmum præpedita, ſive a reſorptione ex inteſtinis majori, perinde erit.

§. XX.

Cavum oris & faucium una cum lingua ſingulari ratione mutatum deprehenditur. Hippocrates jam notavit linguæ colores humoribus ſimiles eſſe (*). Obſervamus autem in hoc morbo linguam humore mucoſo, rarius albo, plerumque flavo, vel fuſco obſeſſam. Saliva enim & humores a glandulis atque arteriis exhalantibus hic confluentes partibus bilioſis fœtos eſſe, tam ſapor amaricans, qui non ſemper a materia corrupta vaporoſa per ructus elevata oritur, quam ipſa humorum ſecretorum indoles, qua ſemper fontem ex quo emanarunt, redolent, monſtrant. Aër ſub reſpiratione ob febrim & æſtum adauctum velociori, impetuoſiori perpetuo hoc cavum perflat, partes ſubtiliores ſolvit, recipit, ſecum aufert, craſſiores relinquit, quæ re-

(*b*) Pringle l. c. p. 417, 418. A. de Haen l. c. T. I. Cap. III.

(*) Libro de humoribus Conf. Duretus ad Hip. prænot. coacas Cap. VII. p. 124. Edit. Lugd. 1737.

remanentes denſantur in cruſtam tenacem, non raro fiſſuras agentem. Sitis non minus moleſtum hujus morbi ſymptoma conſtituit. Siccitas oris, linguæ, faucium, œſophagi, quam ſitis pro ſua cauſa agnoſcit, a variis conditionibus provenire poteſt. Ipſe mucus in cruſtam compactus, obturando vaſa exhalantia orificiaque excretoria ſecreti humoris effluxum impedit, ſaltim minuit. Sudor ob calorem majorem, quo corpus cruciatur, profuſus defectum ſeroſarum inducit, hinc materiem pro ſecernenda ſaliva, aliisque humoribus ſalivalibus, non parum diſſipat. Maſſa ſanguinea ob intemperiem bilioſam magis acris irritando, conſtringendo vaſcula minima, adeoque vias magis ineptas reddendo, copioſiorem humorum in os effuſionem intercipit.

§. XXI.

Febris bilioſa habet ſua ſigna ex quibus & ejus præſentia & differentia ab aliis cognoſcuntur. Horripilatio, calor, pulſus incitatus, naturali celerior, proſtratio virium, aliaque docent febrem adeſſe. Bilioſam vero auguramur ex cauſis ſic dictis prægreſſis (§. V–XV.), ſymptomatibusque præſentibus (§. XVI–XXI.), præprimis ex lingua cruſta flava obducta, amaritie oris, ructibus nidoroſis, vomitu bilioſo, diarrhœa ſpumante, fœtida, bilioſa, ruſa, nigreſcente vel vitellina, urina rubra, crocea &c.

§. XXII.

Prognoſis hujus morbi generalis vix datur certa, aliæ enim atque aliæ circumſtantiæ in hoc morbo eventum ejus tempus & modum variant. In ſe & ſua natura minime periculoſam eſſe, & paucos inde interiiſſe practici adnotarunt. Medicum igitur de præſagienda vita vel morte ſollicitum varia hic conſiderare oportet. Reſpiciendum vero eſt ad principia morbi, quæ, ſi facilius removeri poſſunt, etiam morbum, cæteris paribus, mitiorem declarant; porro ad ſyndromen & incrementum ſymptomatum, nam quo vehementius præſertim functiones vitales afficiuntur, eo gravius ſubeſſe malum certi ſcimus;

deim

dein ad vires, quo major enim vigor corpori adhuc ineſt, reliquis conſpirantibus, eo minus; quo minor vero, eo magis, de eventu febris ſalutari deſperandum eſt; dein ad humorum craſin, quæ ante morbum obtinuit, fluida enim magis prona ad putredinem, ex quavis cauſa, huic morbo plus pabuli ſubminiſtrant; e contrario temperies naturalis genio mali minus favens, in cauſa eſt, cur firmiorem ſpem & concipere & alere poſſit medicus atque ægrotus de ſalubriore febris fine; dein ad typum morbi ipſius, quo ſtrictius enim intermittentis vel remittentis normam ſervat, eo levior, quo magis vero ad continuam tendit, eo gravior habenda eſt; tandem ad evacuationes, expulſio enim materiæ biliofæ ſurſum & deorſum maximum levamen attulit, id quod obſervatorum monumenta teſtatum faciunt.

§. XXIII.

Quæ hactenus breviter diſputavimus ad noſtri mali theoriam ſpectant. Jam ad ejus therapiam tranſeamus neceſſe eſt. Cura abſolvitur non ſolum deſtruendo vel expellendo verum morbi fomitem, ſed etiam, ſi hoc illico fieri nequit ſymptomatibus, maxime urgentibus, neglecto quaſi morbo, obviam eundo. Fomes vero hujus mali extinguendus pro varietate ſedis aliam atque aliam requirit medendi rationem. Hinc ſaburra bilioſa acervata, aut infringenda, aut quia hoc interdum ob copiam nimiam difficulter peragitur, quantocyus e corpore expellenda eſt. Nam „ *corrupta bilis* „ inquit VAN SWIETEN §. 99. „ *circa præcordia hærens* —— *enormes febres accendit,* „ *nunquam curabiles, niſi putridus ille fomes tolli poſſit.* „ Eædem indicationes locum habent, ſi ad ſecundas vias traducta humoribus intime mixta circumducitur materia morbifica, ſcilicet acre putridum bilioſum infringendum, vel ejiciendum eſt.

§. XXIV.

Primum igitur ſe ſiſtit corruptum, bilioſum, rancidum in canali in-

inteſtinorum hærens ſubigendum, id quod duplici modo fieri poteſt, dum tantummodo materiæ hujus putridæ activitatem nimiam, aut quod omnino præſtat, ejus naturam penitus immutamus, utraque enim ratione ceſſat functiones œconomiæ turbare. Prius iterum obtineri poteſt vel diluentibus vel obtundentibus. Obtundentia vix videntur locum habere (*i*), niſi forte mucilaginoſa, aceſcentia vel emulſa talia (*) hic trahantur. Remanent igitur diluentia. Non vero perinde erit, quales humores diluentes ingerimus, ſed omnino præſtat tales adhibere, qui & facilius partibus fluidorum noſtrorum ſe interponunt, & recepti tenacius adhærendo diutius remanent, adeoque ſenſibiliorem effectum præſtant diluentem, ſimulque materiam morbi non augent. Apparet inde aquam puram ſolam vix rite indicationi ſatisfacere, difficilius enim intima miſcela humoribus ſe jungit, & citius per renum cola iterum ſecedit. Hinc practici tantopere nobis commendant decocta ſaponacea, aceſcentia, præprimis ex fructibus horæis parata, hæc enim elementum diluens largius ſubminiſtrant, & quidem tale, quod vi ſaponacea animatum ingreſſum inter globulos partesque ſanguinis ſibi parat, diutius remanet, & acrimoniam rancidam, putridam, alcalicam acido ſuo mitificatur. Eadem ratione agunt decocta tenuiora ſeminum cerealium, hordei, avenæ, panis biſcocti, ſi melle, oxymelle, ſyrupo acetoſitatis citri, Rob ribeſiorum, berberis, mororum (*k*) &c. miſta ſunt. Sic infringitur activitas. Naturam vero materiæ putridæ deſtruimus dum ſales alcalicos in illa eminentes ſale quodam oppoſito ſaturando, in medios mutamus. Præſtant hoc jam memorata decocta. Dein huc referuntur omnia acida tam mineralia, & ſimpliciter talia, & alcohole dulcificata, quam vegetabilia, vario medicamentorum titulo & forma ingeſta. Quum vero huic putrido, rancido, bilioſo

(*i*) Multi laudant quidem olea fine involvendi acre, ut oleum amygd. Tissot l. c. p. 53. quod tamen jam ut malum augens Hippocr. rejecit Epid. l. vi. ſ. 6. Bianchi hiſt hepat. p. 3. 698.

(*) Boerhaave aph. 88. no. 5. Ejusdem libel. de mater. med. ad h. l.

(*k*) Tissot l. c. laudat ſerum lactis acidum, lac ebutyratum cum ſucco ſede majoris vermicularis, cui etiam quoad lac ebutyr. adſtipulatur Monchy apud Pringle l. c. edit. quart. p. 220.

lioſo plerumque etiam viſcidum junctum ſit, hoc ſalibus mediis incidendum eſt. Sales medii præſertim nitrum, nitrum ammoniacale ſimul condiendo humores (*l*) putridum magis enervant, cohibentque illud in ſua activitate, qua reliquam ſanam humorum partem etiam maculat.

§. XXV.

Si vero hæc colluvies turgeat, & tanta quantitate abundet, ut recenſita remedia illam nullo modo cicurare poſſint, tum præſtat eum breviſſima quaque via expellere. Rationalis therapiæ principia jubent materiam expellendam mobilem, ſive aptam reddi, ad evacuationem, quod omnino, ſi res ægri moram permittunt, fit ſalibus neutris, tartaro ſolubili, tartaro vitriolato (*m*) vel & oxymelle, quod maxime laudat VAN SWIETEN in Comment. ad §. 634., quippe quæ viſcidum tenax diuidunt, ſolvunt. Caute tamen hic mercandum eſt, ne acre bilioſum motum in actum deductum majores turbas cieat. Materia per ſales ſic dictos digeſtivos prudenter præparata evacuari poteſt duplici via, ſcilicet vel ſurſum vel deorſum. Sapientiæ medici relinquitur ex circumſtantiis præſentibus determinare, quænam via ſit præferenda. Notandum tamen & hic de evacuantibus, quod antea jam de diluentibus monuimus, ſcilicet præſtare talia eligere evacuantia, quæ genio morbi ſunt contraria, vel ſaltem illi non favent. Hinc purgantia antiphlogiſtica, tamarindinata, rhabarbarina, ſales medii amari, caſſia, manna, aliaque (*n*) convenientiſſima ſunt. Ex iisdem majori copia vehiculi apti dilutis fieri poſſunt enemata, quibus ſimul commodiſſime ſaccharum, mel junguntur. Emetica ſint radix ipecacuannæ, tartarus emeticus, vel oxymel ſcilliticum decenti quantitate pulveris ſcillæ acuatum. Ut vero canalis eo melius a ſarcina infeſtiſſima penitus liberetur, expurgetur, monent practici, & ſane cum ratione monent, non in ſolis vomitoriis acquieſcendum, ſed his purgantia ſubjungenda eſſe. Quæ curatio emetico

(*l*) VAN SWIETEN Comment. in aph. 88.

(*m*) PRINGLE l. c. p. 206.

(*n*) Suadet HIPPOCRAT. Diagridium de natura muliebri p. 575. &c. ſuadet & TISSOT l. c. p. 49.

tico-cathartica repetenda eſt, donec ſigna fomitis inprimis viis hærentis diſparuerint (*). Peracto autem opere evacuatorio ante novum paroxysmum dato leniori paregorico motus corporis irregulares iterum ſopiendos eſſe, notum eſt quam maxime.

§. XXVI.

Raro vero immo rariſſime contingit ægroto tam felici eſſe, ut putridi bilioſi deſtructio in tubo inteſtinali adhuc hærentis penitus obtineatur, ſed plerumque, pars materiæ ad vitalium humorum masſam delata, continuando actionem, ſævit. Hinc & hic eſt medici ut remediis congruis obviam eat. Generatim eædem indicationes obtinent ut antea. Acida enim cum grano ſalis ingeſta, & diluentibus vi morbi contrariis juncta, ſaluberrimum in evertenda natura fomitis febris noſtræ edunt effectum. In expellendo autem humoribus permixto morboſo elemento majori cautela atque prudentia opus eſt. Non enim, ſi unquam, in hoc morbo licebit medico naturæ dictatorem agere, ſed potius ſervum, aut ſi mavis miniſtrum. Hinc diligentiſſime obſervando diſcat proclivitatem naturæ ad hanc vel illam viam legendam, hanc ipſe ſuis remediis intendat, ſequatur, & ſi forte natura aberret, eam in rectum tramitem deducat. Nam experientia clinica edocti ſcimus naturam noxium coctum expellere, modo derivando illud ad habitum cutaneum, ubi ſubſiſtit & in efflореſcentias abit, vel per vaſa exhalantia, aucta diaphoreſi, avolat; modo deducendo illud ad inteſtina & diarrhœam bilioſam foetentem excitat; modo ablegando ad renes, unde urinæ variæ & colore & conſiſtentia, & ſedimento excernuntur. Prudentis jam eſt medici viam obſervatam, quam natura monſtrat, preſſo pede ſequi, neutiquam vero incongruo & intempeſtivo remediorum uſu illam avertendo deturbare, ſed omni ſtudio ſublevare, ut morboſo ejecto humores ad naturalem redeant mixtionem.

§. XXVII.

Quum vero hæc febris ſæpe aliam atque aliam formam tam in ini-

(*) Tissot l. c. p. 29. Monchy l. c. Pringle 205.

initio, quam in progreſſu induat, tradita therapia generalis juxta regulas praxeos ſpeciales unicuique ſpeciei curatius accomodanda eſt. Alia enim methodus medendi obtinet, ſi febris continuæ habitum induit, alia ſi remittentem æmulatur veram, & iterum alia ſi intermittentis cujusdam typum ſequitur; alia ſi in plane alium morbum tranſit. Tradere curam ſpecialem omnium harum ſpecierum limites diſſertationis haud permittunt. Hinc dicta, ſufficerent, niſi quædam problemata huc facientia adhuc expendenda reſtarent.

§. XXVIII.

Jure meritoqne quærere quis poſſet, cur venæ pertuſionis in curatione nulla facta ſit mentio? Fortaſſis quis nos hæmophobos crederet, qui curam febris bilioſæ tradentes, ne verbulo quidem venæ inciſionem laudaviſſemus. Sed tantum abeſt, ut ſanguinis ſubductionem abſolute & ſemper in omnibus febribus neceſſariam credamus, ut eam pro remedio directe hoc malum non attingente, (*o*), declaremus. Nulli quidem dubitamus, quin a copia ſanguinis abundante ſive plethora phlebotomia, ut ſumme neceſſaria, indicetur. Quum vero abundantia ſanguinis non ſemper & in qualibet febre bilioſa obtineat, & impetus febrilis non ſemper exorbitet, quilibet perſpicit miſſionem non eſſe abſolutæ neceſſitatis, & ſi hæc aliquid juvet, hoc non eſſe quia directe mali fomitem attingit, ſed quoniam plethoram minuit, impetumque humorum refrænat, febrem ſedat. Quo tempore vero vena pertundenda ſit, haud conveniunt auctores, & certant practici. Plurimi ſanguinis miſſionem tempore apyrexias fieri debere, autumant. Celeb. PRINGLE, ni fallor, primus fuit, qui nobiliſſima audacia ductus, attamen ſaluberrimo cum ſucceſſu a more conſueto receſſit, & non obſtante Celſi dicto „ *quod ſi vehemens* „ *febris urget, in ipſo ejus impetu ſanguinem mittere, hominem jugulare* „ *eſt* " (*p*) in ſtadio caloris venam incidit. Venam vero ſtatim ſub initio & potius in prioribus, quam in poſterioribus paroxyſmis pertundendam eſſe, quis non perſpicit?

Quodſi

(*o*.) MONCHY in Epiſt. ad PRINGLE vide PRINGLES obſervations &c. the fourth edition London 1764.

(*p*) Lib. II. Cap. X. p. 80. edit. Almel.

Quodſi vero contingeret ut materia ad ſecundas copioſius traducta nimiam humorum putreſcentiam excitaret, venæ pertuſio hic vix proderit, ſed potius, quia vires, a putredine incipiente jam inſigniter depreſſas, magis exhaurit, noxia eſſet. In hoc igitur caſu omni animi ſollicitudine id agat atque unice intendat medicus neceſſe eſt, ut vires totius machinæ animalis, quousque excitari poſſunt, refocillet, omnesque reſolutiones & excretiones promoveat, ut putridum ab humoribus ſegregatum, & ad colatoria delatum, expellatur, & hoc abacto ſana craſis redeat. Cardiaca igitur indicantur. Tutius tamen eſt ejusmodi eligere, quæ non ſolum reſtituendo humores elaboratiſſimos & leniter ſtimulando agunt, ſed etiam ſimul genio morbi ſunt oppoſita, quo merito referuntur ſucci fructuum horæorum maturorum, omnia acida vegetabilia, mineralia dulcificata, liquoresque ſalini medii, ſemivolatiles, ut liquor cornu cervi ſuccinatus, ſpiritus Mindereri &c. Corticis uſus, ut optimi remedii antiſeptici, indicatur & hic largiſſimus.

§. XXIX.

Corticis peruviani uſus noſtris præſertim temporibus admodum multus eſt. Mirum igitur videretur, ſi non etiam in hoc morbo, quid ejus vires valeant tentatum ſit. Sunt qui illum laudant, ſunt qui vituperant. Quamdiu cruditates rancidæ bilioſæ in ventriculo atque inteſtinis abundant, vix cortex aliquid efficiet, niſi quod fortaſſis roborando fibras, actionem continentium in contenta augeat, adeoque, ſi omnino adhuc fieri poteſt, aſſimilationem materiæ morbi peregrinæ producat; virtuti enim laxandi ſaltem in omnibus ſubjectis fidere nollem (*q*), ſi vero attenuatis attenuandis, & ejectis ejiciendis coctio materiæ morboſæ jam circulantis cum humoribus promovenda (*r*), vel nimia humorum diſſolutio a bilioſo putrido inducta cohibenda (*s*), vel typus febris nervis impreſſus delendus eſt, tunc non ſolum permittendus, ſed & ſuadendus eſt ille vere polychreſtus cortex.

(*q*) Vogel Hiſt. materiæ medicæ Francofurti 1760. p. 290.
(*r*) Pringle l. c. p. 215.
(*s*) Idem in app. Exper. XVII. p. 343.

§. XXX.

Tandem & ante omnia indicationis vitalis ratio habenda eſt. Vires vero conſervantur, reſtituuntur, confortantur, alimento tenui digeſtionis organis utcumque debilioribus obtemperante, mali privæ indoli contrario, hinc paratis ex fructibus horæis, ſeminibus cerealibus minus glutinoſis, & pane bene fermentato biſcocto, potu frigidiuſculo parum aceſcente. Maxime vero requiritur aër temperatus cujus qualitates noxiæ ſecundum regulas artis, quantum fieri poteſt, corrigendæ ſunt. Hac ratione enim obtinemus, ne nova colluvies contrahatur, dum præſentem impugnamus. Dum vero cura ſic feliciter obtinetur, robur totius corporis & præcipue primarum viarum ſine læſione vix a conflictu recedere poteſt. Hinc morbo ſuperato medicus medens omni induſtria connitatur, ut officinam digeſtionis roborantibus, aromaticis, amaris, ſpirituoſis, motu in aëre liberiori & evacuantibus rhabarbarinis. ſi forte denuo aliquid noxii, ex concoctione minus vegeta, natum ſit, reſtauret. Symptomatibus urgentibus itemque ſequelis hujus morbi variis, qua methodo medendi obviam eundum ſit, exponere nec tempus nec ſpatium permittunt.